

ampliando, emptionis et venditionis interveniente iusto titulo pro certa pecuniae summa vendiderint, cumque praedictus Hermannus suo et fratrum suorum nomine, solutione huiusmodi pecuniae eis plene facta praefatas villas, quas ipsi a nobis tenebant in feudo, ad manus nostras libere resignaverit, nos ad devotam ipsorum instantiam ac etiam specialiter ad preces domini Henrici supradicti villas Rodanuicz et Clezik cum omnibus et singulis suis iuribus, pertinentiis, iudiciis et utilitatibus, ut praemittitur, saepedictae Misnensi ecclesiae donavimus, appropriavimus et tenore praesentium donamus et appropriamus, iure proprietatis perpetuo possidendas, omne ius nostrum et successorum nostrum, quod in eisdem villis nobis competebat, in ipsam ecclesiam Misnensem libere transferendo, adiicientes, quod cum villa Clezik ad perpetuam vicariam in dicta Misnensi ecclesia institutam debeat perpetuo pertinere, . . . vicarius dictae villae, qui pro tempore fuerit, inter missarum et divinatorum officia nostri perpetuam habere memoriam teneatur; de villa vero Rodanuicz festum trinitatis et quidam anniversarii iuxta ordinationem et voluntatem saepedicti domini Henrici instituendi in ipsa ecclesia Misnensi cum sollempnitate debita peragendum. Ut autem praemissa omnia et singula perpetuae firmitatis robur obtineant, has litteras dari iussimus sigilli nostri robore communitas. Testes huius rei sunt venerabiles in Christo domini Witego Misnensis et Henricus Nuenburgensis ecclesiarum episcopi, Henricus et Guntherus fratres comites de Swarzburb, Albertus de Hakeburne viri nobiles, magister Waltherus praepositus ecclesiae Misnensis, Tammo de Haldecke et Sifridus de Schoninfeld milites nostri fideles et quamplures alii fide digni. Datum Wartberk anno domini millesimo trecentesimo decimo nono in die undecim milium virginum.

Nach zwei völlig gleichlautenden Originalen im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem grossen Reitersiegel des Markgrafen an rothen und grünen seidenen Fäden.

No. 375. 1319. 1. Dec.

Das Domcapitel setzt den von dem Gute in Rossthal an die Margarethencapelle zu entrichtenden Jahrzins von 30 Schillingen auf ein Pfund Pfennige herab.

Nos Waltherus praepositus totumque Misnensis ecclesiae capitulum tenore praesentium publice profiteamur, quod cum allodium in villa Rostyl^{a)} propter magnitudinem census videlicet triginta solidorum, in quibus rectori capellae sanctae Margaretae singulis annis ratione census eiusdem capellae tenebatur cum suis agris ad idem allodium spectantibus, desolatum iaceret, nos de communi nostro consensu, ne perpetuo dictum allodium et agri ipsius propter census magnitudinem, sicut praemissum est, desolati et inculti iacerent, praedictos triginta solidos annui census ad unum talentum denariorum legalium dimisimus et praesentibus dimittimus et approbamus, ita quod Bartholomeus, qui nunc dictos agros possidet, seu sui successores, qui pro tempore fuerint, singulis annis unum talentum denariorum legalium in festo beati Martini Johanni nunc rectori praedictae capellae vel suis successoribus, qui pro tempore fuerint, persolvere debebit totaliter et complete. Et ut haec ordinatio suo robore perpe-

a) Rossthal bei Dresden.